



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De manubijs quæ ab Aphrica venerunt. Capvt XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

quotâuis celebrât. Atq; nautæ tépestatê quæ solet incidere
 eo ipso tépore quo Libyes hoc festû celebrâdû statuebât,
 huius nomine cuius métionem nuper feci nûcupare solét.
 Istud templum Vádali, regnante Onoricho, Christianis vi
 abstulerunt: indeq; Sacerdotibus cum ignominia expul-
 sis, de reliquo Arianis, vtpote ad eorum ius pertinens, red-
 diderunt. Ex quibus rebus cum Libyes magnam ægritudi-
 né & angorem animis caperét, fertur Cyprianû illis secun-
 dum quietem sæpe apparuisse: dixisseq; Christianos non
 debere ob eam causam in mœrore & solitudine esse. Se
 enim post aliquod temporis spatium eam iniuriam vindi-
 caturum, quæ prædictio temporibus Belissarij expleta fuit,
 nam idem Cyprianus martyr prædixerat, Chartaginê, post
 nonagesimumquintû annum, quo à Vádalis capta & exci-
 sa fuit, in potestaté Belissarij ducis exercitus Romani ven-
 turâ, & Vandalos omnino expugnatos fore, & opinionem
 Arianam ex finibus Libyæ prorsus relegatum iri, & Chri-
 stianos sua templa recuperaturos.

De manubijs qua ab Africa venerunt.

CAPVT XVII.

A Beodem porro auctore literis proditum est, Belissa-
 rium, postquam Constantinopolim, profligatis Van-
 dalis, reuertit, spolia & captiuos, circum urbem duxisse,
 ipsumq; Gelimerem Vandalorum ducem, triumpho ei
 decreto, per circum vndiq; vexisse, quæ omnia admiratione
 planè digna fuere. Inter quæ, spolia, monumenta erant
 admodum preciosa, Genzerichi nimirû: qui quidem pala-
 tium Romanum id temporis, sicut antè narraui, diripuerat,
 cum Eudoxia coniunx Valentiani Imperatoris Romano-
 rum versus occidentem habitantium, Maximini opera &
 virum amisit, & ob castimoniam contumelijs affecta, Gen-
 zerichum accersuit, cui pollicita est se urbem prodituram.
 Eo tempore igitur Genzerichus, Roma incêsa, Eudoxiam
 vnâ cum filiabus in Vandalorum regionem abduxit. Eo-
 dem tempore etiam vnâ cum alijs monumentis, eripuit ea,
 quæ Titus filius Vespasiani, Hierosolymis subactis,
 Romam deportauerat: id est, monumenta, quæ Salo-
 mon Deo quem eximiè colebat cōsecrauisset. Quæ Iusti-

N n 5 nus ad

EVAGR. HISTORIAE

nus ad honorem Christi, Dei nostri, illustrandum remisit Hierosolymam: in qua re certè pietatis in Deum, cui ante illa dedicata fuissent, sedulò vti par erat, officio perfunctus est. Eodem quoque tempore, memorat idem Procopius, Gelimerem humi proiectum in circo coram Iustiniani Imperatoris sella, in qua sedebat, res, quæ ibi gerebatur, spectaturus, suo & patrio sermone illud diuinum Salomonis prouerbium, vanitas vanitatum & omnia vanitas, recitasse.

Eccles, 1.

De Phœnicibus qui à Iosue filio Naue fugerunt, & Theodorico Gotto, & ijs qua illo regnante Roma vsque ad Iustiniani tempora contigerunt, & quòd Roma in potestatem Romanorum Vittige ab ea discedente denuò redacta est.

Capit XVIII.

ALiam item rem gestam narrat idem historicus, quæ ad suam ætatè literis minimè mandata fuit, valde tamen memorabilis, & omnem prope superans admirationem. Sic nanque scribit: Maurisios, gentem Libyæ, eiectione Palæstina, in Libyam demigrasse. Hos verò Gergesæos, Iebusæos, est reliquas gentes, quas sacra memorant eloquia à Iosue filio Naue expugnatas. Remque ita se habere, argumentum capit ex epigrammate, quod literis Phœnicū conscriptum ait se legisse: illud autem prope fontem esse, in quo loco duæ extant columnæ ex albo lapide fabricatæ, in quibus incisa sunt hæc verba: NOS SVMVS, QVI A FACIE IOSVE LATRONE, FILIO NAVE FUGERIMVS. Ad hunc modum igitur hæc res fuere consopitæ, cum Libya denuò Romanis pareret, & tributa quotannis, vt ante consueuerat, pensitaret. Fertur porrò Iustinianum centum & quinquaginta ciuitates, quarum pars penitus deleta fuerunt, pars non paruas ruinas perpeffa, in integrum restituisse: & tam eximio splendore, tantis ornamentis, tam præclara ædium